

vertentis opinionem pertineant. Hęc Genebrardus. Fortè vehementius, vt Vatablum ab iniuria vindicet.

Verùm in hac translatione Vatablo adscripta, quæ reuera est Tigurina versio Leonis Judæ, Bibliandri & Cholini; & in Testamento nouo, Erasmi, tametsi interpolata; & in scholiis sub Vatabli nomine adiunctis, esse aliquid, quod viros doctos & sacrarum literarum studiosos iuuare, & ad abditos scripturæ sensus penitus inuestigandos promouere possit; argumento est Index Concilij Tridentini, à Sixto V. & Clemente VIII. recognitus & auctus, in cuius tertia Regula hæc leguntur. *Librorum veteris Testamenti versiones, viris tantum doctis & piis, iudicio Episcopi, concedi poterunt: modò huiusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgata editionis ad intelligendam sacram scripturam, non autem tanquam sacro textu utantur. Versiones verò noui Testamenti ab Auctoris primæ classis huius Indicis factæ, nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi verò plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet. Si quæ verò annotationes cum huiusmodi, quæ permittuntur versionibus,*
vel